



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

III. De effectibus, ac conferendi ritu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

CAPVT III.

De effectibus Extremae Vnctionis, eiusdemque conferenda ritu.

§. I.
Effectus
Extremae
Vnctio-
nis.

15. **Q**uam Extrema Vnctionis effectus? Praecipuus plane est, peccatorum auferre reliquias; quaecunque sine peccata; vel relicta post Sacramenta non ritè suscepta, vel commissa post illa, & obliuioni tradita; siue, vt vno verbo complectar, omnia: deinde corroboratio infirmi contra omnia mala, quæ mortis tempore solent occurrere. Hunc effectum gratiæ, quando vltima perficitur vnctio, dari affirmo. Scio tamen probabile in singulis vnctionibus conferri. Præterea sanitas corporis huiusce Sacramenti effectus est; sed conditionatè, si ita animæ salutis proficuum sit futurum.

§. 2.
Ritus
Extremae
Vnctio-
nis.

16. **Ritum ab Ecclesia in conferenda vnctione seruatum exprime.** Primò Christi imago in Cruce pendentis decumbenti affertur. Tum preces aliquæ siue quæ præcedant, siue quæ comitentur assolent adhiberi. Deinde infirmus inungitur, qui si ante vnctionem quintam decedat è vita, Sacramentum est nullum. Contrarium scio probabiliter defendi.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Extrema Vnctione ex Societatis IESV schola.

§. I.
De Mi-
nistro
Extremae
Vnctio-
nis.
Marat.
Præp.
Fernad.

17. **M**inister non potest esse nisi Sacerdos: an necessariò unus? Si infirmus statim decessurus timeretur, possunt ei vnctiones simul à pluribus Sacerdotibus adhiberi; quia cum inter vnctiones partiales ordo non sit de essentia, in necessitate simul possunt adhiberi. *Maratus tom. 3. d. 10. sect. 1. num. 1. & Prepositus in 3. part. quest. vnic. dub. 5. num. 37.*

18. **Parochus est, extra necessitatem Minister;** quia est iurisdictionis actus: potest ne alius Sacerdos simplex etiam Religiosus in necessitate sine licentia Parochi, imò resistente ipso, ministrare? Potest auctore Antonio Fernandez de Cordoba part. 3. cap. 10. §. 1. num. 8. Addens, pœnam excommunicationis inflatam in Clem. Religiosis, hoc Sacramentum extra necessitatem